# DISSERTATIO ACADEMICA, DE SINGVLARIBVS QVIBVSDAM ET ANTIQVIS IN HASSIA JVRIBVS,

QVAM

IN INCLVTA ACADEMIA MARBVRGENSI

PRÆSIDE

JOHANN WILHELMO Waldschmiedt/

U. J. D. Professore Juris & Philosophiæ Practicæ Ordinario,

AD DIEM XVIII. Martii. MDCCXVIII.

IN AVDITORIO JCTORVM

PVBLICÆ VENTILATIONI SVBJICIET

JOHAN. JACOBVS HERBST/

Marburgensis-Hassus.

---

MARBVRGI CATTORVM,

Litteris, PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, Acad. Typog.



2

*PERILLUSTRI & EXCELLENTISSIMO*

DOMINO,

# DN. JOH. JACOBO LINCKER,

*S. R. J. Equiti & Nobili*

DE

# LÜTZENVVICK,

*Hereditario Domino Præfecturarum Denstadiensis & Nieder-Tieffenbacensis,*

## EMINENTISSIMI ELECTORIS MOGUNTINI

*Sanctioris Admissionis, nec non Regiminis Electoralis Erfordiensis* CONSILIARIO *Splendidissimo,*

SACRUM!



*PERILLUSTRIS & EXCELLENTISSIME*

# DOMINE,

*PATRONE MUNIFICENTISSIME!*



Um Perillustri Nomini TUO *præsentem tabulam votivam, in animi gratissimi mnemosynon, eâ, quâ par est reverentia, suspendere audeo, Veterum, Romanorum in primis, institutum succurrit, quô primitias, aliaque laborum suorum specimina, Diis tutelaribus sacra nuncupârunt. Ut alia nunc omittam, memoriæ proditum legi, eos, qui literas profitebantur, solennia sua dona, lyram, plectrum, carmina, Deorum templis intulisse. Constat etiam sub istis fabularum involucris Antiquitatem, è beneficiorum multitudine Deorum numerum effinxisse, & eos, qui singulari aliquo beneficio de genere humano optimè promeriti essent, cælitum numero inseruisse. Quodsi itaque Romani, Mæcenatibus suis, tanquam Diis beneficis, ingenii sui fœtus, obsequii & grati animi testes nuncupârunt; ut præsens Specimen Academicum,*

Perillustri

Perillustri Nomini TUO *inscriberem, me planè obstrictum, & obligatum existimavi. Quantis enim faventissimi Animi signis, ut Avunculus, & è S. Baptismatis Fonte Susceptor Venerandus, me affeceris, quot beneficiis, ut Patronus munificentissimus, me ornaveris, ob numerum & amplitudinem eorum eloqui non possum. Quid Favori* TUO *reddam, non habeo, nisi exigua hæc ingenii munera, quibus pietatis, obsequii, & gratæ mentis publicum aliquod monimentum exstruere volui. Vile est, quod beneficiis maximis retribuo, si illud è dignitate sua æstimetur, majus erit, si à devotissimâ, quâ offertur mente, pretium aliquod eidem accedat. Accipe igitur benevola Mente, Manuque, hanc beneficiorum recordationis, perpetuæque venerationis tesseram, & inter omnigenæ prosperitatis multiplices fructus beatissimè perenna, id quod intimis sensibus devotè vovet,*

*PERILLUSTRIS & EXCELLENTISSIMI*
*NOMINIS TUI*

*Servus & Cultor addictissimus*

JOHANN. JACOBUS Herber.

quoties ignorantia juris vel facti invincibilis, communicantem excusat. (f) Nihilo secius præfata Bulla non solùm disertè memorat, sed &, si ultra tenorem juris communis, ad instar privilegii, quidquam operari debuit, omninò supponit, Marburgum nostrum, rudioribus istis seculis, vel ideò censuram Ecclesiasticam, quin & ipsam excommunicationem aliquoties incurrisse, quòd excommunicatus, Magistratu Civibusque insciis, ibidem pernoctaverit, aut substiterit. Quare non aliud superest, quàm ut dicamus, Bullâ isthâc, munimentum aliquod adversus abusus nonnullos, & extensiones canonum injustissimas, pro captu illorum temporum, quæsitum, & obtentum fuisse. (g) Deinde & illud accedit, quòd intuitu *Juris Placiti*, cujus observantiam in Hassia, supra adstruximus, ejusmodi munimento haud opus fuerit. Ast enim verò, quemadmodum aliâs jus quæsitum, non semper adversus vim prævalentem satis efficax existit, ità dubium non est, turbas è censuris Ecclesiasticis, ultimis ante Reformationem seculis, in Hassia non raro subortas, ansam dedisse, ut & hoc qualecunque remedium, iisdem oppositum fuerit. Quicquid denique ejus sit, Jus circa Sacra, per Pacificationem Religiosam, aliasque Leges Publicas, Principibus & Statibus Protestantibus plenissimè assertum, Ecclesiarum libertati firmamentum longè fortius circumposuit, quàm ejusmodi diplomatibus olim accessit, aut accedere unquam potuit.

---

(f) Vid. *Can. 102. & seq. C. XI. Quæst. 3.* Lancelot. *Institut. Jur. Canon. Lib. 4. Tit. 13. §. 29. ibique Zigler.* Marc. Ant. de Dominis *de Rep. Eccles. Lib. V. cap. 9. §. 29.*

(g) Hæc talia in ignorantes quoque, invitis licet canonibus, non raro statuta fuisse, *d. can. 102.* pariter subindicat.

D CAPUT

# CAPUT TERTIUM,

## DE

## *Bonorum distinctione, eorum in primis, quae certis praestationibus obnoxia.*

§. I.

Quemadmodum *diversitas bonorum, in Hassia sitorum,* argumenti, quod tractandum suscepimus, partem longè amplissimam & ubertimam constituit; ità, dum plura addere, hâc vice non licet, paucissimis hisce lineis, viam ad sequentia munire, unicè intendimus; quô sic, data occasione, vel in generalioribus pergere, vel specialiora etiam seligere queamus. Et quidem, ut ea nunc omittamus, quae de bonorum distinctione è Jure Communi (h) dici possent; multiplicem eorum diversitatem, ut in reliqua Germania, ità in Hassia quoque deprehendi, nemo nisi hospes ignorare poterit. Idem, si alia deficerent, Rescripta Principalia, *supra pag. 12. & 15.* memorata, satis evincunt: in illis Magistratibus Civitatum, aliisque Praefectis injunctum fuit, ut in conquirendis Hassiae consuetudinibus, seorsim dispicerent, was an jedem Orth vor Stamm- und Erb-rückfällige und erkoberte Güter / fahrende Haabe / Besserung und dergleichen / dem Landbrauch nach / biß dahin geachtet worden seye.

§. II. Nec minus circa bona, certis praestationibus obnoxia, multae variaeque differentiae, in Hassia quoque inveniuntur Ea enim, quae Celeb. Dn. Ludvvig, *supra* laudato Tractatu *de Jure clientelari Germanorum in feudis & coloniis*, quoad reliquas Germaniae Regiones, eruditè & solidè deduxit, magna sui parte, Hassiae quoque conveniunt, quin & è Patriae institutis, egregiè illustrari & confirmari possunt.

Dum

(h) Vid. Celeb. Dn. Cocceji *Dissertat. de Distinctione Bonorum.*

Dum non solùm è speciebus istiusmodi bonorum, *d. l. pag. 139. & 161.* maximo numero relatis, complures & in Hassia deprehenduntur, sed & nonnullæ eidem recensui superaddi, ac suppleri exinde possunt: eoque inprimis pertinent, die in Hessen befindliche Lehen-Hueben-Köther-Landsiedel-Hintersiedel-Brieffgüter / Güter zu Waldrecht / Meyer-Erbzins-Grundzins-Zinsgüter / ꝛc. ꝛc. ꝛc. Quorum omnium originem, naturam & indolem investigare, singula ab invicem distinguere, & ad suam classem revocare, è monimentis antiquioribus, & usu Patriæ forensi illustrare, prolixam, & perdifficilem exposcit operam.

TANTUM!

## COROLLARIA.

*I.*

QUerela inofficiosi testamenti est species hereditatis petitionis, non remedium quoddam præparatorium.

*II.*

Exheredatione liberorum aut parentum non ritè factâ, testamentum, quoad institutionem, ipso Jure nullum est.

*III.*

In fratrum exheredatione, ut causa disertè exprimatur, non æquè requiritur.

*IV.*

Matris præteritio hodienum pro exheredatione est, modò dispositio Novellæ 115. cap. 3. observata fuerit.

*V.*

Actio Pauliana, realibus minus rectè accensetur.

*VI.*

Correctio textus, & confessio antinomiæ, meritò equidem non aliter, quàm pro sacra anchora, & ultimo refugio adhibentur.

*VII.*

Nihilo tamen secius, in *§. fin. J. de Nuptiis* verba finalia ità immutanda esse: *Quod ei, similiter aliis liberis, qui ex eodem matrimonio postea prognati fuerint, nostra Constitutio præbuit*, Muretus non temerè contendit.

*VIII.*


Et in §. 6. *J. de Oblig. ex delict.* verba finalia, ad rem judicatam, inter veteres perceleb rem respicere, indeque loco verborum, *in aciem*, substituendum esse *in Ariciam*; defendemus: ut ut Theophilus jam tum, vulgatam lectionem expresserit.

*IX.*

Beneficium *l. 4. Cod. de tempor. appellat.* cùm regulis Prudentiæ Civilis non satis convenit.

*X.*

Actione negatoria convento, etiamsi in quasi possessione servitutis constitutus sit, probatio regulariter incumbit.



GRATULATIO VOTIVA,

Ad

*Nobilissimum ac Doctissimum Dominum*,

DN. JOAN. JACOBUM Herbst/


*Jurium Studiosum.*

TE gerere *Autumni* nomen, meminisse juvabit:
 Namqve Tuum nomen forsitan omen habet.
Sicut dat varias fruges *Autumnus*, & implet
 Dotibus innumeris horrea, tecta, cados.
Sic Tuus *Autumnus*, studiorum messe repletus,
 Innumeras profert mentis & artis opes.
Testis erit nobis hæc DISSERTATIO DOCTA,
 Qvam variis donis messis opima beat.
Gratulor hos fructus, semper quos opto perennes;
 Sic hyemis nunqvam frigora sæva prement.

JOAN. CASP. SANTOROCCUS,
*Profess. Academ. Marburgens.*

Corrigenda.

*Pag. 1. lin. 9.* Brunswico l. Brunsvico *Pag. 2. lin. penult.* Canonici l. Canonico *pag. 3. lin. 25.* anno 1273. l. anno 1272. *pag. 7. lin. antep.* Solide l. solide. *pag. 12. lin. 22.* §. 2. l. §. 1. *pag. 24. lin. 4. à fine* Cap. 9. l. cap. 12.



# DISSERTATIONIS
## DE
## Singularibus quibusdam & Antiquis
# IN HASSIA JURIBUS.

## *PRÆFATIO.*



Quanquàm lemma huic Dissertationi præscriptum à notissimo Tractatu, *de singularibus quibusdam & antiquis in Germania Juribus*, quem *Justus Georgius Schottelius, Consiliarius Brunswico-Luneburgicus*, anno 1671. primùm edidit, mutuati simus; ipsum tamen institutum nostrum, ab illius rationibus diversum esse, quilibet facilè animadvertet. Etenim prælaudatus Autor è Germania universa, tum & in specie Ducatu Brunsvicensi, sua, quæ protulit, observata selegit. Nobis verò unicè constitutum est, sub præfato rubro, singularia nonnulla & antiqua Jura, quæ in Principatibus Hassiæ viguerunt olim, aut etiamnum vigent investigare; eaque è monumentis medii ævi, tum & usu hodierno Patriæ forensi illustrare.

 Et hunc

Et hunc conatum nostrum, ab æquis rerum æstimatoribus non improbatum iri, tantò magìs confidimus, quo certius est, quòd Patriæ monumenta, ea nobis suggerant instituta, quorum nonnulla Jura Germaniæ universalia confirmare valeant, reliqua verò singularia, seorsim expendi, omninò mereantur. Inter alia nimirum incrementa, quæ Jurisprudentiæ, inde à pluribus lustris in Germania accesserunt, non minimum illud est, quó Jura patria magìs magìsque excoli, & in claram lucem protrahi cœperunt. Cum enim superioribus seculis, intempestivo studio, Jura ista, Germanis domestica, ad amussim juris exotici examinandi & reformandi, eadem paulatim obliterata, quin & neglectis fontibus genuinis haud parum conturbata essent, recentiori demum ætate contigit, ut post Conringii, Gryphiandri, Schottelii, Schilteri egregios labores, complures alii JCti, id egerint, ut Jura Germanica, è pulvere quasi resuscitarent; (a) quin & ca,

(a) Illorum equidem sententiam nec sequimur, nec probamus, qui Jura Germanica obsoleta, vel ideò revocanda esse contendunt, quasi ab illorum neglectu tot mala in Germaniæ fora immigraverint, quibus non melius consuli possit, quàm si posthabitis Legibus in peregrino solo natis, omnia ad pristinas Legum & consuetudinum Germanicarum rationes reducantur. Quin potius ultrò agnoscimus, reductionem istam pro præsenti temporum facie, ne quidem suadendam, nedum sperandam esse; idque ob statum Germaniæ hodiernum, ab antiquo illo, in omnibus suis partibus nimium quantum diversum, Legum priscarum incertitudinem, consuetudinum particularium varietatem, admixtas conclusiones è fontibus alienis derivatas, ignorantiam prudentiæ legislatoriæ, adeque subortos defectus, æquabilitatis, justæ proportionis *&c.* quam in rem non contemnenda collegit argumenta Hoffmannus *de Origine & Natura LL. Germanicarum antiquarum, earumque habitu ad statum præsentem, Cap.* 3. Eô tamen non obstante, studium patrii Juris & obsoleti, & etiamnum vigentis utilissimum esse, plurimumque & hîc referre credimus, *ut nihil antiquitatis penitus ignoretur*, quamvis enim tempora, aliæque causæ in una alterave parte quid immutaverint, omnia tamen, ad indolem primævam etiamnum respiciunt, ad quam exigenda, explicanda & restringenda illa etiam sunt, quæ mutationem aliquam subierunt. De cætero Juri Romano, & Canonici justum pretium statuere nunquam desistemus.

& ea, quæ in observantia totius Imperii, aut singularum quarundam Regionum, hactenus perstiterant, historiâ, velut *luce veritatis* illustrarent, eâque duce, fontibus errorum, omnisque generis corruptelarum, è longæva hominum praxi, plenius detectis, ad vividam rerum civilium cognitionem tantò felicius pertingerent. Iidem verò Doctisſimi Viri, qui huic operæ hactenus insudârunt, & agnoverunt ipsi, & alios admonuerunt, (b) vix ullam huic instituto aliquando perficiendo, certiorem superesse viam, quàm si è singulis Germaniæ Regionibus consuetudines, & Jura singularia in medium producantur, & invicem conferantur ac contendantur.

Horum expectationi, intra spatia, exercitationibus Academicis præfinita, à nobis satisfieri non posse, facilè equidem agnoscimus. Nihilo tamen secius, illorum monitis excitati, & Patrii Juris amore ducti, istiusmodi speciminibus primas argumenti propositi lineas ducere, animum induximus: curas maturiores, perfectioremque tractationem, in aliud tempus differentes. Ipsa verò destinata nostra, hâc ratione componere allaborabimus, ut non tantùm Consuetudines & Jura singularia per universam Hassiam, vel olim, vel etiamnum vigentia, sed &, quæ unam alteramve Præfecturam attinent, nec non quæ Urbibus nonnullis per modum privilegii quæsita sunt, unà cum notabilioribus institutis circa Judicia, per saturam, & prout occasio se obtulerit, exhibeamus. Annuat proposito Deus T. O. M. faveatque Lector!

---

(b) Conf. Celeberr. Dn. Ludwig, JCti de Jure & Historia Germ. præclarè meriti, erudit. Commentatio, *de Jure Clientelari Germ. in feudis & colon. Sect. I. cap. 1. §. 3. lit. g. & Sect. 3, cap. 1. §. 4. lit. r.*




# CAPUT PRIMUM,

## De

## *Juribus in Hassia & olim, & hodienum usitatis in universum.*

### §. I.



*attos*, armorum gloria inclutos, jam tum antiquissimô ævô Jura sua habuisse, ad quorum normam vitam componerent, res ipsorum, ut foris, ità quoque domi præclarè gestæ, quas Annalium conditores nobis exponunt, neminem dubitare sinunt. Paucissima equidem sunt, quæ de Legibus veterum Germanorum in universum, è monumentis ab exteris (c) consignatis hódienum colligi possunt. Et circa notissimum illud testimonium, quod Tacitus Majoribus nostris perhibuit, *bonos mores, apud eos plus quàm alibi bonas leges valuisse*, complures subsistunt, annon instituta comparatione, ex præconcepto odio erga statum Reip. Rom. prout suo tempore se habebat, ità magìs locutus sit, quàm quòd barbaræ gentis moribus, ad normam justi examinatis, promeritam laudem tribuere voluerit. (d) Nihilo tamen secius, vel solus judiciorum vi-

(c) Græcis nimirum & Romanis: quæ enim exinde hauriri nequeunt, haud dubiè ignoramus. Unde facilè judicari poterit, quid de *Tuisconis*, *Manni*, *Hermionis* &c. Legibus, ab Aventino & Goldasto productis sentiendum sit.

(d) Conf. Hoffmann. *d. l. periodo. 2. lit. b.* Ut jam de eo non dicamus, antiquissimos Germanos, propter barbariem, cultiorisque vitæ ignorantiam, nec veræ virtuti studuisse, indeque ad *ἀνομίαν*, aliosque nævos prolapsos esse. Vid. Hoffman *d.l. period. 2. §. 4. lit. b.* Observat. Hallens. *Tom. 6. Observ. 7.*

rum vigor (e) quin & Sacerdotum ac Conciliorum autoritas, (f) iisdem Scriptoribus memorata, Legum ſanctimoniam, Germanis obſervatam, arguunt & evincunt, ut ut eædem & paucæ, & in ſcripturam haud redactæ fuerint. Ea verò, quæ de Germanis, intuitu Legum in genere dici poſſunt, & Cattis in ſpecie, vel maximè tribuenda eſſe, nemo facilè negabit. Nonnullarum quoque conſuetudinum, in Haſſia etiamnum vigentium, natales & origines, è monumentis iſtis, ad antiquiſſimum ævum ſpectantibus, cognoſci poſſe, alibi ſpecialius demonſtrabimus. (g)

§. II. Ex quo deinceps *Catti* cum pluribus aliis Germaniæ Populis, aſſumto *Francorum* nomine, in unum civile corpus coaluerunt, (ſicque iisdem ſæpe in armis victores, idem quoque imperium conjunxit) inſtituta & jura ſua domeſtica, perinde ac alii populi in Francorum ditionem concedentes, haud dubiè retinuerunt. (h) Quemadmodum verò incrementa Regni Francici per *Cattos* vel maximè promota eſſe, aliunde conſtat; ità quoque tantò minus dubitandum eosdem Majores noſtros, Leges Francorum comiter inſimul obſervâſſe. Non equidem nunc vacat, ut de Lege Salica & Ripuaria, earumque natali ſolo, nec non de Capitularibus Francorum ſeorſim hîc diſſeramus; illud tamen prætermittere non poſſumus, memoriam iſtarum Legum ſerius & ſub finem Seculi XIII. in Haſſia noſtra conſervatam fuiſſe: id quod memorabile Diploma, quod HENRICUS Haſſiæ Landgravius (cognomine *Infans Brabantiæ* dictus, *Sereniſſimæ Familiæ Principalis* Reſtaurator Auguſtus) Civibus Grumbergenſibus (i) anno 1273. in feſto S. Galli dedit, ſequentibus verbis initiali-

 bus lu-

(e) Conf. Conring. *Exerc. de Judiciis Reip. Germ.* §. 12. & 17. Et *de Orig. Juris Germ. cap.* 1.

(f) Vid. Tacitus *de M. G. cap.* 7. & 12. Julius Cæſar *de Bello Gall. Lib. VI. cap.* 8.

(g) Add. Differt. noſtra *de Hominibus propriis Haſſiacis cap.* 3.

(h) Conf. Hertii *Notit. Regni Franc. cap.* 5. §. 28.

(i) Oppidi notiſſimi, in Langraviatu Haſſo-Darmſtadino hodienum ſiti.

bus luculenter evincit: *In nomine sancte & individue* Trinitatis. *Noverunt in perpetuum universi presentis pagine inspectores, quod Nos* Heinricus Dei *gratia terre Hassie Dominus, una cum* Adelheidi *Landgravia conjugata nostra, ex matura deliberatione & prudentum consilio concedimus dilectis civibus nostris in Grunenberg, gaudere juribus subscriptis, quibus gavisi dicuntur à temporibus retroactis.*

# *Dicunt itaque se Francones esse & propterea sortiti sunt jus Franconum &c.*

An verò hæc verba, ad subsequentia diplomatis contenta, iisque civibus Grunbergensibus concessa & instaurata jura se referant, an potius in genere ad libertatem, Francis originariis dudùm olim quæsitam, & Legibus istis firmatam respiciant, specialiori disquisitioni, alibi instituendæ, reservamus. De cætero, licet memoria LL. Francicarum, dictis temporibus in Regionibus Germaniæ nondum penitus obliterata fuerit, (k) certum tamen omninò est, eas ex illo inprimis tempore, quo Proceres Germaniæ, ad excelsum, & sublime illud fastigium, in quô hodie positi sunt, assurgere cœperunt, paulatim antiquatas fuisse, indeque manibus hominum excidisse. (l) Abhinc enim Regionum

---

(k) Ità de Lege Salica, Baluzius *in probationibus Historiæ Bresianæ, pag. 5. & 215.* testatur eam *annis 1185. & 1296. apud Lugdunenses, & Friburgios adhuc in usu fuisse*, statim verò addit: *non ità multum post, ne quidem nomen ejus, inter Francos vulgo notum fuisse.* Sub Friderico I. tamen nobilissimos Salicos legem istam adhuc observasse, notavit Otto Frisingensis, *lib. 4. cap. 32.* Memoriam & autoritatem *Capitularium*, decretum Ottonis M. *datum apud Francofurt anno 952* adhuc conservavit, vid. *appendix I. ad Reginonis tract. de disciplina Ecclesi.* cujus tamen fidem nonnulli in dubium vocant.

(l) Conf. Hertius *de Consultat. LL. & Jud. §. 13.* Baluzius *in præfat. ad Capitular. libros* qui tamen antiquitatis venerationi nimium indulsisse videtur, quando §. *1. d. præfat* existimavit, *publicam regni Germanici calamitatem, istius ævi, præter cæteras causas, etiam ex neglectu disciplinæ in Capitularibus præscriptæ, ortum traxisse.*

num Domini, legislatoriam potestatem sibi vindicare; & prout malorum ac commodorum sensus, per subjectas sibi regiones, ad Ipsos citius pertingebant, ità quoque subditis suis, variis ordinationibus & Legibus prospicere cœperunt. Accedebant turbulenta & bellica tempora, quibus Germania, inde à Seculo X. sæpius involuta fuit. His omnibus factum, ut publicis Regni conventibus aliis plane negotiis occupatis, post tempora Ottonis I. (m) usque ad Friderici II. ætatem, parum de LL. universalibus, ad privatos pertinentibus, in monumentis medii ævi deprehendamus. Quæ omnia & intuitu Hassiæ nostræ haud dubiè usuvenerunt, cujus mores & Jura domestica, tantò certius in suo vigore perstiterunt. (n)

§. III. Eâdem planè ratione, postquam secutis temporibus, Jus Canonicum & Civile exemplo cæterarum Regionum in *Hassia* quoque recepta fuerunt, *Jura*, quæ diximus, *domestica* ne sic quidem vim suam penitus amisêre: prius verò, quàm hoc demonstremus, de tempore, quo Jura ista exotica, Patriæ nostræ se insinuârunt, nonnulla præmittere, non abs re erit. Constat nimirum, in eo quidem plerosque convenire, quòd Jura Canonica seculo XIII. in Germania recepta fuerint (o) de Jure verò Justinianeo, ejusque receptione non sinè gravi argumentorum, in utramque partem, pondere, disceptari. Quandò enim Conringius, eumque secuti, receptionem istam, ad seculum XV. rejiciunt; Rhetius verò eandem seculo XIV. adscribit; B. Dn. Hertius, (p) indubitatis planè argumentis, & testimoniis

---

(m) Apud Witichindum *Corbej. Annal. lib. II.* inter Meibomii *Script. rer. Germ. Tom. I.*

(n) Quanquam verò Kulpisius *in Dissert. de autor. Legum Germ. vet.* §. 23. asserat, *ea quæ consuetudinum Germanicarum nomine hodienum venditantur, reverà Juris scripti Germanici capita esse, & inde habere originem*; simulque JCtis Italis adscribendum suspicatur; quod sequioribus temporibus *consuetudinum* appellationem venerint; hanc tamen sententiam, adeò generaliter prolatam, idoneo fundamento destitutam esse, Solidè ostendit Thomasius *in notis ad d. §.*

(o) [illegible] *de Orig. Juris Germ. cap. 26.*

(p) [illegible] *LL. & Jud. §. 14.*

moniis probatum dedit, jam tum seculo XIII. Jus Justinianeum Germaniæ cognitum, indeque in chartis, aliisque monumentis frequentem illius mentionem factam fuisse. Illud verò, quod prælaudatus Vir Celeberr. de Germania in genere, & nos de Hassia in specie asserere possumus. Quòd enim in diplomatibus seculi XIII. Hassiacis, ad Jus Civile Romanum, passim jam provocetur & aliorûm relatione fide digna accepimus, & ipsi aliquoties observavimus. Antiquiora tamen, in præsens non suppetunt testimonia, quàm quæ circa initium seculi XIV. subnata. Ex illorum numero duo sequentia diplomata produxisse sufficiet, quorum primô, *anno 1314. quarto Idus Aprilis* exarato, *Abbas & totus Conventus Monasterii in Hegene* (Heina) *Ordinis Cisterciensis,* occasione eleemosynæ, cujus executio unà cum bonis per traditionem inter vivos, ipsis delata, sequentes clausulas superaddunt: *promittimus bona fide ipsam voluntatem piam, atque bonam, opere in omnibus suis clausulis plene & fideliter adimplere, & nunquam contravenire, verbo, opere, neque causa, & renunciamus publice & expresse* OMNI *Juri Canonico & Civili*, *omni exceptioni Juris & facti, omnique legis consuetudinis, privilegii impetrati vel impetrandi suffragio, litteris impetratis & impetrandis, cujuscunque formæ, vel tenoris existant, ac exceptioni metus causa, doli mali, & generaliter omnibus exceptionibus, defensionibus, appellationibus, & earum prosecutionibus, per quæ pia voluntas, seu eleemosina præscripta, & ipsius executio posset in posterum aliqualiter infirmari.* In altero verò diplomate, *anno 1318. sigillo Burgensium de Gyzen* (Gessen) munito, *Gisilbertus, Crafto & Senandus, fratres de Witirshausen, Osterlindis mater, ac Elisabetha conthoralis legitima Gisilberti*, renunciant *omni auxilio Juris Canonici, & Civilis*, *omniumque consuetudinum, aut constitutionum &c.* (q) His ità præmissis, id quod demon-

(q) Eodem haud dubiè pertinet, quod de LUDOVICO *Pacifico Hassiæ*

demonstrandum erat, resumimus; ubi quidem hodierna consuetudinum & Jurium Hassiacorum observantia, asserto nostro, testimonium, omni exceptione majus, perhibet; antiquiora verò tempora, quod attinet, ad *Collectionem consuetudinum & Jurium Francobergensium*, seculo XV. confectam, quæ, in *MSC.* illius ætatis, nobis ad manus est, provocamus; in ea non tantùm locales illius oppidi, sed & nonnullæ totius Hassiæ consuetudines notabiliores, ità nobis exhibentur, ut destinatis nostris subsecuturis maximo usui esse possint, illudque simul luculenter confirment, Majores nostros post recepta jura exotica in vim juris communis, domestica sua instituta & jura, nequaquam, ut vulgò creditur, uno velut actu & ictu eliminâsse. Autor istius collectionis, ità de se ipso loquitur: Wiewohl in beyden Rechten (geist- und Weltlichen) gar eine strenge vollführung gebotten ist / bey groser Poen des Banns / der Acht / und Vermaledeyung / die nicht zu wandeln / jedoch so lieset man in beyden Rechten / daß sie in viel Orthen gute Gewohnheiten der Lande und Stätte mit einziehen / bey den als den Gesetzen rechtlich zu bleiben; hierum so hab ich Johann Emmerich / der alte / auf Verbesserung eines jeden Verständigen / etliche der Alten Herkommen / Gewohnheiten / und Rechten dieser Stadt Franckenberg wollen / zuschreiben denjenigen die hiernächst kommen / zu vernehmen / wie unsere Vorfahren und unsere Eltern viel solche ehrlich gehalten / und löblich herbracht haben / sich auch desto baß darnach zu richten / und auch daß die Statt der nicht verlustig werden möge. (r) Ex

B eâdem,

*Hassiæ Landgravio*, Æneas Sylvius *in Hist. de Europa, cap. 38.* sub rubro *de Hassia & rebus gestis in ea*, refert: *Princeps Gentis Hassiacæ Ludovicus fuit Legum cultor, quas sibi proprio sermone exponi jussit, quoties coram eo causa ventilanda erat; nec unquam compertus est iniquam sententiam tulisse.* De cetero sicut in reliqua Germania jura Romana primùm innotuerunt, mox literati, studio privato excitati, eadem magni fecerunt, indeque scholas & magistros instruere cœperunt, demum in foris & curiis quoque juris autoritatem acceperunt. Ità nulli dubitamus, receptionem istam in Hassia quoque sensim contigisse.

(r.) In præfatione, aliena manu addita, sequentia leguntur: Dies nachgeschriebene Büchlein / hat ein vornehmer trefflicher wohlgelahrter Baccalaureus, genant Johannes Emmerich der Alte gemacht / derselbe war ein erfahrner Mann unter allen Schöffen / zu Franckenberg / dann er hatte meisten Theil alle Aembter der Statt regiert / von

eâdem, quam modò laudavimus, collectione consuetudinum Francobergensium, & illud tamen simul apparet, consuetudines & jura patria, jam dudum olim, haud parum conturbata fuisse, dum Autor illius, pro captu sui temporis, in defectu historiæ & antiquitatum Germanicarum, fabulas passim immiscuit, & ea, quæ sine dubio Germanicæ originis, è fontibus alienis derivare allaboravit.

§. IV. Hactenus dictis, ea nunc succedit quæstio, utrum collectiones morum & consuetudinum Germanicarum, tertio decimo seculo & deinceps, à privatis privata autoritate in unum corpus redactæ, quæ sub nomine *Speculi Saxonici* & *Suevici* hodienum notissimæ sunt, (f) Hassia nostra unquam suspexerit, aut hodienum suspiciat; qua de re illi aliâs disputant, qui, diversis studiis, vel Saxonico, vel Palatino Vicariatui Hassiam adscribere nituntur, quorum tamen causam, nostram hîc non facimus. Et quidem Jus Saxonicum quod attinet, auctor commentationis *de jure repræsentationis*, quem Goldastus *Seniori* suo subjunxit, disertè equidem scribit, *eôdem mediam Imperii Germanici partem hactenus usam esse, nominatim Thuringos, Hassos, Silesios &c.* idemque pristinus Thuringiæ & Hassiæ nexus confirmare videtur. Nihilo tamen secius Schüzius *Juris Publ. Volum. I. Exercit. V. thes. 13. lit. c.* Dietericus *ad A. B. pag. 42.* (utrique Hassiæ JCti) Sprenger *in fontibus Juris Publici pag. 176.* Limnæus *ad A. B. cap. 5.*

---

von seinen jungen Tagen an / bis an sein Ende / darzu war er aller Gerichte läufig kündig / beyde geistliches / werentliches / und auch des heiligen freyen Gerichts. Nun hatten die von Franckenberg viel alter Brieff und Privilegien und Freyheiten / welche dann leider meisten Theis verbrand seyn / in dem grosen Feuer / da die alte mit der neuen Statt beydesambt all verbrandten. Und nach dem Schaden kam noch ein ander Unglück / so daß die alten weisen vernünfftigen Schäffen alle verstorben / und vergingen. Als nun der genannte Johannes Emmerich an seinem letzten End sah / daß eitel junge Raths-Herren zukommen waren / da machte er dies Büchlein denen von Franckenberg / auff daß die Statt ihrer alten Herkommen und löblichen Gewohnheiten nicht verlustig würde / seiner dabey zu gedencken. Conf. Chronic. Francobergense *ad annum 1505.*

(f) De quorum natalibus, fontibus, idiomate, autoritate, defectibus, & differentiis, quæ alii observârunt huc non conducemus, conf. Hert. *d. l. §. 13.* Werlhoff. *d. l.* Thomasius *Select. feud. pag. 66. & seq.* ibque allegata Schilteri *loca.*

*cap.* 5. §. 2. *observ.* 5. & cum iis Hertius *d. l.* Giovanni *Germ. Princ. sub Saxon. cap.* 3. §. 26. *lit. u.* Werlhoff *Dissert. de Jure quo Germ. utuntur*, *cap.* 2. §. 10. *lit. c.* constanter asserunt, Saxonicis legibus in Hassia nullam autoritatem constare, nec unquam constitisse. Ex altera parte, Suevici juris, nullum amplius superesse usum testatur Speidelius. *in thesauro Pract. verbo* Schwaben Spiegel / cui tamen ea rursus adversantur, quæ Goldastus *in præf.* der Reichs-Händel *p. 1.* attulit. Enimverò in tanto Dd dissensu, illud primò expeditum est, utrumque & Saxonicum & Franconicum jus, non solùm per maximam Germaniæ partem, sed & per exteras terras nonnullas dudum olim se expandisse. Deinde & illud constat, in Hassia, uniformes consuetudines ne hodie quidem deprehendi, quin potius easdem in nonnullis articulis cum singulis Præfecturis variare Vel sola etiam compilatio *consuetudinum Francobergensium* in §. *præced.* allegata, evincit, privatam istam collectionem Juris Saxonici, in Hassia non incognitam, quin potius in maximo pretio fuisse, quippe ad quam Autor istius passim provocat. Sed & Juris Alemannici usum aliquem, in Hassia dudum olim fuisse, alibi, quando ad specialiora pervenerimus, in materia successionum (t) pluribus argumentis probatum dabimus. Indeque asserere nulli veremur, utrique collectioni & Saxonici & Suevici Juris, privatorum usu ad minimum, autoritatem suam in Hassia, pro diversis illius partibus, quondam constitisse. (u) Imò, si conjecturis locus, ista, quam diximus consuetudinum varietas, exinde haud parum fortè adaucta fuit.

§. V. Interea temporis, dum Hassia jure non scripto potissimùm usa, alicubi locorum (perinde ac in reliqua Germania fa-



(t) Quippe in quâ, collectiones istæ vel maximè discrepant.

(u) Utrum verò Statuta inclutæ Academiæ Giessenæ, quando *Tit. 31. Jus Francorum & Saxonum Antecessoribus suis commendant*, additâ ratione *quòd illis universa propemodum Europa in multis partibus hodienum utatur*, ad Hassiam seorsim respiciant, alii viderint.

ctum (v) pravæ nonnullæ consuetudines simul irrepserunt, quas, ut eradicarent, *Serenissimi Hassiæ Principes*, providâ curâ deinceps allaborârunt. Idipsum, Rescriptum, quod LUDOVICUS *Hassiæ Landgravius*, Cui, è divisione **Paterna**, Principatus ad Lanum obtigerat, ad Magistratus & Præfectos suos hoc nomine emisit, vel maximè comprobat, cujus tenorem proinde heic inseremus: **Wir Ludwig von GOttes Gnaden Landgraff zu Hessen 2c.** Nachdem Unsere Unterthanen sich nun zu etlich mahlen an uns unterthänig beklaget/ daß hin und wieder viel böser Gewonheit wären/ dadurch je bißweilen auch die Kinder von ihrer Eltern/ auch die nechsten Bluts-Verwanten von ihrer abgestorbenen Freunden hinterlasenen Erbschafft gantz unziemlich ausgeschlossen würden/ und mit Fleiß erbeten/ daß Wir darin gnädiges Einsehen vorwenden wolten/ Wir Uns auch hierauff gnädig erkläret/ und darunter Unseren Räthen auferleget/ solchem gantz nothwendigen Werck mit allem Fleiß nach zu dencken/ und dasselbige/ mit erster Gelegenheit vor die Hand zu nehmen/ und zu der vorlängst anbegerten Würcklichkeit zu bringen. Aber gleichwohl zu desselben Eingang sich ereügnet/ daß man zu solcher Aenderung/ und Abschaffung angezogener böser Gewohnheiten nicht wohl kommen und schreiten mögen/ man habe dann zuvor Gewißheit/ wie es in etlichen benanten Fällen/ nach gemeinem Statt und Land Brauch biß daher seye gehalten worden/ so thun Wir euch hiermit dieselbige Fälle (quos casus infra *cap. 3. § fin.* enumerabimus) in sondere Fragstücke verfasset zu schicken/ und befehlen euch daruf gnädig/ daß ihr nicht allein vor euch selbst/ sondern auch mit zu thun etlicher der Aeltisten so dessen Wissens haben/ und auf dieselbe Puncten sambt/ und einen jeden insonderheit/ und also von den biß daher bey euch in Ambt und Stadt üblichen Rechten einen

---

(v) Quam facile, id ipsum in defectu Legum scriptarum contingat, reliqua Germania exemplo suo comprobat:. Vid. Ordin Crimin. Carolina *artic. 218. junctâ tamen Beyeri Delineat. Juris Crim. ad d. l.* Et quanquam Dn. Thomasius, in Dissertatione,. quâ *morum cum Jure scripto contentionem* instituit, justis rationibus suffultus defendat: *præstare Rempublicam bonis moribus uti, quàm bonis Legibus*, constantiam tamen ejusmodi morum ibidem non asserit, sed supponit, quam in tanta hominum imperfectione, ne quidem sperare licet.

ten einen eigentlichen und gewissen Bericht erstattet / rc. Dat. Marburg am 26. November Anno 1577. (w)

§. VI. Quodsi nunc porrò (seclusis iis, quæ de Recessibus Imperii, aliisque Legibus Germaniæ universalibus dici possent) ad reliqua Jura Hassiaca in scriptis promulgata pergamus: Constitutiones Principales, tum & singularum Urbium quarundam statuta, memoranda veniunt. Antiquiores Constitutiones (de recentioribus §. §. seq. dicemus) quod attinet, de iis, quæ ante seculum XIII. & XIV. subnatæ, ut alibi, ità in Hassiâ quoque vix certi quidpiam dici potest imò & plurimæ, dictis seculis promulgatæ, vel perierunt, vel in occulto etiamnum latent. (x) Sicut etiam in reliqua Germania, Regionum Domini, urbibus mediatis, jus statuta condendi, non rarò dederunt, salvâ tamen ubique majestate suâ (y) ità Principali Clementia, nonnullæ urbium Hassiacarum, idem antiquioribus seculis obtinuerunt; idque exemplo Francobergi, *è Chronico Francobergensi ad annum 1294.* probavit Hertius (z) De Grumbergo quoque Diploma, quod *supra §. 2.* citavimus, idem his verbis testatur: *Insuper concedimus ut dilecti cives nostri quidquid ad honorem & profectum ipsorum proprio statuerint ex arbitrio, possint cum voluerint revocare:* Et in diplomate quod HENRICUS II. Ejusque Filius OTTO, *Hassiæ Landgravii* Anno 1357. postridie Festi S Nicolai, Marburgo nostro concesserunt, inter alia legitur: Was Gesezes Unse Scheffen und Rath zu Marpurg machen setzen oder entsetzen / uns Unserm Lande / und der Stadt zu Eren und zu Notze / uff yren Eyt / wer das freybelich strafete oder widderstunde under unsern Bürger zu Marpurg / der sall ein Jar uff der Stad syn / und sall Uns bussen zehen Punt Pennige / iglichem



(w) Jam ante WILHELMUS H. L. in Ordinatione *sequ. §. 7. alleg.* conquestus fuerat: Daß in diesen Fürstenthum und Graffschafften / mancherley Gewohnheit und Ubunge / die zu Zeiten einander widerwärtig erfunden würden.

(x) Vid. Conring. *de Orig. Jur Germ. cap. 27.*

(y) Cujusmodi statuta dicebantur Rechte / sive Willführ / vid Speidelius & Wehnerus in *thesaur pract. d. vb.*

(z) *De Superioritate territ. §. 25. in not.*

iglichem Burgkman der zu Marpurg gesessen ist/ und iglichem Scheffen fünf schwere Pennige/ und unser Stadt gemeynlich ein fuder Wyns. Js en aber dan/ daß das Gesetze unser Land anginge das solten Sie mit Unsers Amtmans Wissen und Willen thun.

§. VII. Recentiori verò ætate, mutato judiciorum statu, & rerum civilium indole, ità exigentibus, variæ Ordinationes Judiciariæ & Provinciales, (ut vocant:) in Hassia confectæ ac promulgatæ fuerunt. Illas inter primo loco se nobis offert. **Die Gerichts-Ordnung / so der Durchl. Fürst und Herr / Herr Willhelm Landgraff zu Hessen / Anno 1497. an der Lóne / auffgerichtet und geordnet** (a) Eam secuta PHILIPPI *Magnanimi* Reformation **Gesetz und** Statuten Anno 1527. publicata, & Anno 1559 adaucta. Abhinc cum *Divi Fratres:* WILHELMUS, LUDOVICUS, PHILIPPUS & GEORGIUS *Hassiæ Landgravii*, divisis Territoriis imperarent, communicato consilio id egerunt, ut Ipsorum auspiciis uniforme Jus Provinciale Hassiacum conficeretur, cujus exemplum quoque hodienum extat. Quemadmodum verò aliâs dicitur, *nullam rem consummatam esse, dum incipit*, (b) ità quoque cum primâ istâ collectione **des Hessischen Land-Rechts** fuit factum. Cumque superiori seculo *Serenissimi Hassiæ Landgravii, utriusque Lineæ & Cassellanæ & Darmstadinæ* secum expenderent, ex instituto optimæ Reipublicæ, & pulchrum, & utilissimum fore, si uniformes Leges in Hassia universa & singulis illius provinciis vigeant, simulque animadverterent (c) priorem

(a) Recusa Marburgi *anno 1557.* Ad eandem provocavit Ferrarius Montanus *Consil. Marburg. Volum. 1. Consil. 2. num. 6.*

(b) Ut Senecæ illud *lib. 6. quæst. natur. cap. 5.* nostrum faciamus.

(c) Ut de eo jam non dicamus, anteriores Ordinationes ad praxin, uniformem saltèm, haud deductas peræque fuisse, quo pertinet exemplum à Ferrario *d. l.* allegatum.

priorem *Juris Hassiaci* collectionem, non uno intuitu adhuc imperfectam esse, eidem instituto felicius perficiendo, *Anno 1651.* certos Consiliarios & Antecessores non exotici solùm, sed & Patrii Juris scientissimos, & prudentia legislatoria instructos, designârunt, qui priusquàm operi manum admoverent, consuetudines è singulis, universæ Hassiæ, Urbibus & Præfecturis collectas, sibi ob oculos posuerunt, iisque præsidiis adjuti, destinata egregio successu executi sunt. Eadem commissio deinceps aliquoties iterata, & prioribus interim defunctis, aliis Hassiæ Eruditis rursus demandata fuit. Interim, ne sic quidem, ob varia, quæ intervenerunt, impedimenta, institutum hocce ad suum fastigium perduci potuit. Indeque recentiori isti collectioni **des Hessischen Land-Rechts**/ privato ausu non ità pridem typis vulgatæ, Principalium Constitutionum robur nondum accessit. Reliquas Ordinationes in *Territorio* vel *Cassellano*, vel *Darmstadino* promulgatas, nec non, quæ *Utriusque Lineæ Principalis* communia Tribunalia attinent, hîc ut enumeremus, instituti ratio nunc quidem haud permittit.

*§.* VIII. Nec minus per *Constitutiones Principales*, novioribus temporibus seorsim promulgatas, saluti & securitati Hassiæ egregiè prospectum est. (d) Ex quo enim PHILIPPUS *Hassiæ Landgravius*, Cui Magnanimitas, & rerum gestarum magnitudo, æternum *Magni* & *Magnanimi* Cognomen induit: ex quo, inquam, Heros Ille invictus, saluberrimis Constitutionibus subditis suis, Divinâ providentiâ dirigente, in Ecclesiasticis & civilibus felicissimè prospexit, Sanctissimum hocce exemplum *Principes Successores* providâ curâ, imitati sunt. Inprimis verò SERENISSIMI ET POTENTISSIMI HASSIÆ LANDGRAVII, PRINCIPES & DOMINI REGENTES, PATRIÆ PATRES CLEMENTISSIMI, sub QUORUM mansue-

(d) Quarum insignis collectio, instituto huic egregiè profutura, nobis, dum hæc scribimus ad manus est.

mansueto & felicissimo Regimine, Hassiæ Regiones quâ patent in suo flore persistunt, subditis Suis, in utroque *Landgraviatu* innumeris fere Sanctionibus pragmaticis & Edictis clementissimè subvenerunt. Ut adeò vel hoc intuitu subditi Hassiaci felicitatem suam devotâ mentis veneratione agnoscere necessum habeant. Quodsi enim maximam felicitatis suæ partem meritò æstimat populus, quòd Principes ipsi contigerint, seriam dantes operam, ut præcipui & maximè eminentes defectus, statûs Ecclesiastici, Politici & Oeconomici aboleantur: (e) Subditis certe Hassiacis, *bona si sua nôrint*, nihil hac in parte deerit. quorum saluti & securitati Constitutionibus memoratis, plenissimè & clementissimè prospectum est. (f)

---

(e) Felicitatem subditorum maximam in eo revera consistere, solidè demonstravit Dn. Thomasius, in Dissertat. *de Felicitate Subditorum Electoralium Brandenburgicorum ob emendatum statum Eccl. & Polit. per Edicta Elector.*

(f) Quodsi itaque hactenus dicta in unam summam colligimus; apparet inde, Jura (ut de Divino inter gentes omnino omnes vim suam exserente, jam non dicamus,) in Hassia hodienum usitata, partim patria, partim aliunde adscita, illa rursus vel universalia vel particularia, utraque hæc vel scripta vel non scripta esse. Utrum verò in concursu principiorum Juris Patrii antiqui, & exotici, Romani inprimis, pro hoc, an pro illo stet præsumtio, quæstio est non Hassiam solùm, sed Germaniam universam attinens, cujus momenta in utramque partem, uno intuitu exhibuit Excellent. Dn. Ludolph *in eruditiss. Tract. de Jure Fam. illustr. in proœm.*

CAPUT

# CAPUT SECUNDUM,

DE

# *Libertate circa Sacra, Hassiæ diu ante Reformationem asserta.*

§. I.

INter reliqua singularia & Antiqua Hassiæ Jura, *libertas* eminet, planè insignis, qua *Ecclesiæ Hassiacæ* hoc ipso gavisæ sunt, dum *Serenissimi Landgravii*, pluribus ante Reformationem seculis, *Jus circa Sacra* Sibi vindicârunt & exercuerunt. Non uno equidem in sensu *libertas* de Ecclesia prædicatur. (g) Et quando inter Ecclesias, sacris Catholicis hodienum addictas, non aliæ majore libertate gaudeat, quàm Regno Galliæ (h) comprehensæ (i) hæc ipsa tamen in eo potissimùm consistit, dum Clerus Regni, omni conatu id agit, ne à nutu Sedis Romanæ dependeat, quin potius in regimine Ecclesiastico, eximias partes obtineat, de cetero, pro insigni erga Regem suum affectu, Regia in Ecclesiam jura potius defendat, quàm alieno arbitrio eadem permittat. (k) Illa verò *libertas*, quam *Ecclesiis*

C

(g) Diversas istas significationes, illustr. Galliæ Archi-Episcopus Petrus de Marca integro opere *de concordia Sacerdotii & Imperii*, inprimis *Lib. 3. cap. 1. §. 3.* pluribus exposuit. Quo verò in sensu, vocabulum *Ecclesia* nobis hîc veniat, quilibet facilè animadvertit, conf. Dn. Böhmer, *Juris Eccles. Lib. I. Tit. 33. §. 19.*

(h) Ut & in Republ. Venetâ; quô pertinet P. Servitæ *Historia particulare delle cose, passate tral' sommo Pontefice Paolo V. e la Serenissima Rep. di Venetia.*

(i) Libertatem istam Ecclesiæ Gallicanæ, Petrus de Marca, *in prælaudato opere* egregiè adstruxit: de eâdem, hodierni motus, sat noti, abundè testantur.

(k) Conf. Dn. Böhmeri *Observat. selecta ad P. de Marca d. lib. 3. cap. 1.*

*Ecclesiis Hassiacis* ante Reformationem quæsitam esse asserimus, in eo unicè consistit, quòd eædem à variis exactionibus liberatæ, intuitu *Juris circa sacra* (in quantum illud, sub ambitu summæ Potestatis, & Superioritatis Territorialis, eidem analogæ, continetur) legitimis *Principibus* & *Dominis* totius Hassiæ, jam tum subfuerint. (l)

§. II. Ex quo nimirum majori Imperii R. G. Reipublicæ, ejusque Capiti, *jus*, quod diximus, *circa sacra*, (cum antea sub Regno Francorum (m) inconvulsum perstitisset) in partibus insignioribus ereptum fuit; (n) Proceres Imperii complures; id indignè ferentes, per subjectas Sibi Regiones, Superioritati Territoriali, ad fastigium assurgenti, jus isthoc circa sacra strenuè vindicârunt, ac deinceps Episcoporum, aliorumque Ecclesiæ Ministrorum constitutione, Legum latione, Judiciorum institutione, reipsâ exercuerunt. Quam in rem luculenta exempla & testimonia protulit Hertius (o) Novissimè quoque idem argumentum Johann Georgius Reinhard, Consiliarius Saxonicus in tractatu, superiori anno edito, *de Jure Principum Germaniæ, præsertim Saxoniæ, circa sacra, ante tempora Reformationis exercito*, professâ operâ pertractavit. Indeque præfatum Jus in nonnullis Imperii Legibus ante Reformationem promulgatis, nec non deinceps in Transactione Passaviensi, Pace Religiosa, & Westphalica, Regionum Dominis, quibus convenit, assertum fuit, velut diu ante exercitum, & longævo usu conservatum. (p)

§. III.

(l) Planè ut *populum liberum* aliâs dicimus, qui alienigenam dominum non agnoscit, quâcunque etiam imperii forma utatur, vid. Huberi *Digress. Justinian Lib. I. cap. 14.* §. 3.

(m) Vid. Hertii *notitia Regni Franc. cap. 4. §. 2. 3.*

(n) Vid. Conringii *Exercit. de Constitut. Episc. Germ.* H. Meibomii, *Dissertat. de Jure investit. Episcop.*

(o) *de Superiorit. Territ. §.* 3. add. Dn. Böhmer *Juris Eccles. Lib. 1. tit. 13.* §. 35.

(p) Loca eò pertinentia collegit Reinhard *d. tr. pag. 53 - 63.*

§. III. Quanta verò, quamque insignia Jura, *Serenissimi Hassiæ Landgravii*, pluribus ante Reformationem seculis, circa Sacra exercuerint, monumenta illorum temporum, quæ supersunt, abundè testantur: è quorum numero sequentia tantùm, hâc vice, hûc conducemus. Et primô quidem locô, id, quod diximus, *supra* memoratum diploma insigniter adstruit, in quo HENRICUS I. Hassiæ Landgravius, anno 1271. Civibus Grunbergensibus ità cavit: *consuetum quoque fuit ibidem ab antiquo quod & nos fieri volumus, quòd nullus Prelatus habere debeat jura synodalia penes ipsos, vel synodo presidere. Nihilominus tamen Plebanus ibidem excessus qui fuerint in spiritualibus corrigendi sibi ad Scabinorum consilium vendicabit. Probibemus etiam quod nullus eos citet, vel excommunicet, injungentes eisdem quod semper & in omnibus parati sint coram Sculteto nostro, & prout à Scabinis dictatum fuerit, per omnia stare juri.* Exinde enim apparet, *Principes Hassiæ* jam tum Seculo XIII. Synodorum institutionem & præsidium, potestati Suæ vindicâsse, quod ipsum deinceps variis (q) pactis & transactionibus, cum Dioecesano initis, confirmatum fuit. Indeque & in diplomate (quod cap. I. §. 6. citavimus) anno 1357. Marburgo nostro concesso, cautum legitur: auch en sal nymant über Unser Bürger Sehend sitzen / wie Unser Aldern / und wir das herbracht han. (r) Et quando in sequentibus verbis, ejusdem diplomatis, *licentia excessus in spiritualibus corrigendi, Plebano* (s) non aliter *conceditur*, quàm si *ad consilium Scabinorum* id fiat: inde simul confirmatur, *Hassiæ Landgravios* jam illo tempore *Jurisdictionem Ecclesiasticam* Sibi vindicâsse, ac per Magistratus Suos eandem exercuisse. (t) Ipsas quoque

C 2

(q) Quorum nonnulla collegit Hertius *d. §. 3. de superiorit. territ.*

(r) Conf. Schottelius *de singul. & antiqu. Germ. Juribus cap. 6.* vom Send-Recht.

(s) i.e. Ecclesiæ parœcialis *Rector*, sive *Pastor*, ad differentiam *Capellani* ità dictus. Vid. du Frêne *in Glossario* verb. *Plebanus*, Lambecius *rerum Hamburg. Lib. 2. num. 444. 447.*

(t) Idemque per pacta & transactiones ab Hertio *d. l.* citatas, deinceps pluribus confirmatum fuit.

quoque personas Ecclesiasticas à subjectione territoriali non omninò exemtas fuisse, diploma HERMANNI, H. L. de anno 1391. (u) evincit, *ibi* auch sollen Sie Uns und Unseren Erben gehorsam und unterthänig seyn / **als andere geistliche Leute / die in Unserem Fürstenthum wohnen** / und wider Uns / Unsere Erben und Fürstenthum nicht seyn ꝛc. Et prout aliis quoque Imperii Proceribus, insignia jura in Monasteria & Ecclesias suæ ditionis, inprimis vigore Advocatiæ, jam olim competiisse probavit Hertius. (x) Ità, quàm eximia *Principum Hassiæ* potestas & hâc in parte fuerit, vel inde apparet, dum Monasteria in Suis Territoriis dudum ante Reformata Sacra, sæpius reformârunt, eorumque defectus emendârunt. (y) Pariter & illud seorsim expendi meretur, quòd in sæpe memorato diplomate Civibus Grumbergensibus prospectum fuerit, *ne quis eos citaret, vel excommunicaret*: Isthæc enim prohibitio satis evincit *Jus Placiti*, (z) ut vocant, *vigore cujus nulla mandata, bullæ, aut gratiæ publicari possunt, nisi datâ prius à Domino Regionis veniâ*, in Hassiâ quoque obtinuisse. Præterea ut in aliis Regionibus, (a) ità in Hassia quoque prohibitio alienationis rerum immobilium in personas Ecclesiasticas (quam vocant **Das Verbott sein Gut zur Ewigkeit zu verkaufen**) & olim obtinuit, & hodienum in suo vigore persistit.

---

(u) Extat illud in *Chron. Francoberg. ad d. annum.*

(x) *De jact. Libert. Ord. Cistert.* ubi simul *Sect. III.* luculenter evincit, *Advocatiam* istam, non nudam defensionem, sed jurisdictionem insuper comprehendisse.

(y) Vid. de LUDOVICO *Pacifico*, Æneas Sylvius *d. cap. 38. Histor. Europ.* de WILHELMO *Medio*, & PHILIPPO *Magnanimo* Dillichius, *ad ann. 1506. & seqq.* alia quoque exempla *Chronica Hassiæ MSC.* passim exhibent.

(z) Id ipsum à Canonistis quoque defendi, & non solùm in Regionibus quibusdam Germaniæ, sed & exteris Rebuspublicis nonnullis observari, ostendit Hertius *de superiorit. territ. §. XI. in fine.*

(a) Vid. Hertius *d. § XI. pag. 205.*

persistit. (b) Denique ut finiamus, instrumentum Investituræ super Hassiæ Principatibus, jam anno 1495. à MAXIMILIANO I. IMP. concessum, in eoque Regalium facta expressio, in specie: den Ober- und Nider-Gerichten / Freystühlen / dem Bann über das Blut zu richten / Gewohnheit / Besitzungen / Eigenschafften / Stifftern / Clöstern / Vogteyen / Obern / und Niedern Mannschafften / Herschafften / Lehen / Lehenschafften / geistlichen und weltlichen zwingen / bannen / etc. (c) satis declarant, præter supra enumerata, & alia eximia jura circa sacra, *Serenissimis Hassiæ Principibus*, diu ante tempora Reformationis competiisse.

§. IV. Quanquàm verò Legibus Imperii Publicis & Fundamentalibus, *jus* isthoc *circa sacrà*, Principibus Protestantibus ità nunc assertum & confirmatum sit, ut tot pactis stabilitam, tot Legibus firmatam potentiam, contra injusta quævis molimina tueri & possint, & valeant: Nihilo tamen secius, plurimùm refert, & illud extra omnem dubitationis aleam positum esse, quòd Legibus istis, *Jus circa Sacra* Principibus Protestantibus, non tam datum, quàm restauratum sit. Eôque intuitu omninò operæ pretium poscerct, ut singula jura supra enumerata, è monumentis fide dignis, seorsim prolixius exponeremus: quod ipsum tamen ad subsequentem specialiorem tractationem, nunc quidem reservamus. Interim non abs re esse, nec Lectori ingratum fore speramus, si *Bullam Papalem*, Marburgo nostro olim concessam, hâc occasione, heic inseramus.

C 3 MARTINUS

(b) Idipsum diploma, quod è Chron. Francobergensi supra *lit. u* adduximus non solùm confirmat, sed etiam diploma Marburgo Anno 1357. datum, quod *cap. I. §. 6.* citavimus diserte exprimit, in quibus illud inprimis memorabile, quod non tantùm alienationem inter vivos prohibeant, sed etiam de bonis immobilibus, per ultimam voluntatem ad Clericos delatis; quod ea civibus cujusque loci [illegible] offerenda sint, disponant. Add. Ludovici V. Constitutio Anno [illegible] gi publicata, in qua ad anteriora Edicta simul provocatur.

(c) [illegible] t. d. l. *pag.* 207. Winckelman. *Chron. Hass. part.* 5 *cap.* 4.

MARTINUS * *Episcopus servus servorum Dei.* Ad perpetuam rei memoriam: Humilibus & honestis supplicum votis illis præsertim que Divini cultus augmentum & Christi fidelium pacem & animarum salutem respiciunt libenter annuimus illaque quantum cum Deo possumus favoribus prosequimur oportunis. Sane sicut pro parte dilecti filii Nobilis Viri ** LUDEVICI *Landgravii Hassie* nobis exhibita petitio continebat sepe contingit opidum Martpurgen, Moguntine Dioc. cum ejus suburbiis ipsius *Lantgravii dominio* immediate subjectum ex eo ecclesiastico subjici interdicto, quod persone excommunicationis sententia innodate, & quibus est ecclesie interdictus ingressus, à judicibus tam a sede apostolica vel ejus legatis deputatis seu eorum subdelegatis sive commissariis diversis fungentibus auctoritatibus, quam etiam ab ordinariis Civitatum & Dioc. Moguntin. ac. aliorum locorum ad opidum prædictum aut suburbia ipsius declinant, & ibidem comedendo vel bibendo, seu dormiendo, aut tractando, seu placitando moram trahunt, & quandoque propter adventum & moram personarum hujusmodi Clerum opidi & suburbiorum predictorum

---

* Pontifex hic, durante Concilio Constantiensi, anno 1417. ipso die Martini electus fuit, unde *Martini V.* nomen assumsit, cum antea *Otto de Colonna* diceretur, sedit per annos 13, menses 3, dies 10. Ea, quæ ad vitam & res gestas pertinent, ex *Actis Concilii Constantiensis*, à B Dn. von der Hard editis, nec non ex *Actis Concilii Senensis*, Lutetiæ Paris. anno 1612. impressis, certius colligi possunt, quàm è Platinæ, aliorumque traditionibus. De hoc Martino V. vulgò dicitur, quod pauperrimus Cardinalis, & ditissimus Pontifex fuerit, *Indulgentias, ab eodem concessas, Magistrum Leonhardum de Swinfurt, profelytam, in Hassiam attulisse; pecuniam verò inde redactam, jussu Ludovici Pacifici H. L. Cassellis, reparationi Ecclesia ad S. Martinum, impensam fuisse*, Chronicon Hassiæ MSC. ad ann. 1440. memorat.

** Curiæ Pontificiæ stylo, Duces & Principes, eosque solos, non etiam Comites & Barones, *Nobilium Virorum* titulo ornari, cum scripsisset B. Dn. Eybenius, *Elect. feudal. cap. 9. §. 13.* Fritschii censuram eô nomine incurrit, qui in *Dissert. de feudo solari, mantissâ 1.* exempla Bullarum, ad Comites Schwarzburgicos emissarum, potissimùm objecit. Et cum in Dissertat. *de Titulo Nobilis*, Eybenius eidem respondisset, à Thulemario quoque, *de Octoviratu cap. 8. §. 9.* eô nomine denuò reprehensus fuit. Abhinc in Dissert. *Stylus Curia in titulis plumbeus, vel cereus* inscripta, utrique satisfacere allaboravit, styli Curiæ inconstantiam, temporum circumstantias, personarum conditiones, pro exceptione à regula potissimùm allegans; ipse tamen simul varia exempla profert, Bullarum, cum elogio *Viri Nobilis*, ad Comites directarum. Utcunque verò olim se habuerit, *Protestantes* Germaniæ *Duces* ac *Principes*, tributo sibi à Pio V. PP. *Nobilis* elogio, jam tum non amplius acquievisse, Thuanus *Histor. Lib. 38.* memorat.

dictorũ per certos dies seu mensem, vel menses post dictarum personarum ab oppido & suburbiis hujusmodi recessum sequentes, prout ex provincialium vel synodalium constitutionum vel processuum, seu mandatorum apostolicorum, vel ordinariorum, quorum autoritate tales persone excommunicate sunt & ipsis hujusmodi ecclesie ingressus interdictus existit, forma tenentur: oportet absque dilectorum filiorum Proconsulum Consulum & universitatis opidi & suburbiorum predictorum culpa, penitus cessare à divinis, propter quod ibidem Christi fidelium tenescit devotio & plerumque animarum succedunt pericula ac odia & scandala inter hujusmodi clerum & populum excitantur. Quare pro parte dicti *Lantgravii* nobis fuit supplicatum ut eisdem Proconsulibus Consulibus & universitati super hoc de opurtuno remegio providere de benignitate apostolica dignaremur. Nos igitur qui divinum cultum & Christi fidelium devotionem augeri ac animarum periculis & scandalis obviare intensis desideriis affectamus, volentesque dictum opidum in cujus etiam unius suburbii ecclesia, ut asseritur corpus sanctæ Elisabeth vidue venerabiliter conservatur, & a Christi fidelium multitudine devotius honoratur, specialis prerogativa favoris decorare, hujusmodi supplicationibus inclinati, prefatis clero Proconsulibus Consulibus & universitati ut postquam hujusmodi persone etiam apostolica vel ordinaria aut alia quacunq; auctoritate excommunicate, & quibus ecclesie est interdictus ingressus sique ad opidum vel suburbia hujusmodi absque ipsorum proconsulum consulum & universitatis voluntate accesserint & ibidem comedendo vel bibendo seu tractando vel placitando seu alias moram traxerint, de ipsis opido & suburbiis cum effectu expulse fuerint seu recesserint iidem Clerus possint in Ecclesiis & Capellis eorundem opidi & suburbiorum in Proconsulum Consulum & universitatis predictorum ac aliorum Christi fidelium presencia, excommunicatis & interdictis exclusis, missas & alia divina officia apertis janius, etiam pulsatis campanis & alta voce per se celebrare, vel per alios ydoneos facere celebrari, ac iisdem Proconsulibus Consulibus & universitati nec non incolis & habitatoribus eorundem opidi & suburbiorum ecclesiastica sacramenta alias tamen rite ministrare seu facere ministrari. Dummodo ipsi Proconsules Consules & universitas, aut aliquis vel aliqui ipsorum causam hujusmodi non dederint interdicto & opidum ac suburbia predicta, specialiter non fuerint simili supposita interdicto, nec id ipsis Proconsulibus Consulibus & universitati seu alicui vel aliquibus eorundem contigerit interdici, auctoritate apostolica tenore presencium indulgemus, non obstantibus apostolicis ac hujusmodi provincialibus & Synodalibus constitutionibus & aliis contrarii [illegible]. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostre c[illegible] agere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc atte[illegible] erit indignationem omnipotentis Dei & beatorum

petri

Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum iiij. non. aprilis Pontificatus nostri anno septimo. *** ****







§. V. Quodsi nunc bullam hanc Papalem paulò penitius inspiciamus, contenta illius non uno nomine singularia esse, facilè apparebit. Quanquam enim de Jure Canonico, fulmini excommunicationis, ea vis tribuatur, ut communicans cum excommunicato, excommunicationem minorem, interdum etiam majorem, incurrat (d) vicissim tamen & illud constat, suppositum isthoc Juris Canonici, ut in aliis casibus (e) ità vel maximè tunc officium suum perdere, quoties

---

*** Adeoque natales hujus Bullæ in annum 1424. incidunt.

**** Bullam plumbeam à serico funiculo, rubri & flavi coloris (cum aliàs cannabino utantur) dependentem, simul delineari fecimus. Ut ut enim post Thulemarii *Tractat. de bulla aurea, Argentea, plumbea &c.* Dn. Heineccius in eruditissimo *Syntagmate Hist. de Sigillis, Tab.2. & 4.* Ant. Weck *in descript. Dresda, pag. 182. 240.* & alii ejusmodi bullas, cum inscriptione SPA. SPE i.e. *S. Paulus Apostolus, S. Petrus Episcopus*, vel ut alii legunt *S. Paulus, Sanctus Petrus*, jam exhibuerint, & descripserint, quia tamen vel exinde magna ejusmodi bullarum diversitas apparet, præsentis, quoque figuram, Lectori, harum rerum curioso, communicare voluimus. De cetero, quotuplicia sint sigilla, quibus Pontifices utuntur; ex quo tempore imagines Petrum & Paulum Apostolos referentes, bullis plumbeis primùm impressæ fuerint; Cur S. Paulus ad dextram, S. Petrus ad sinistram in iis collocetur, & quæ sunt alia, prælaudatus Heineccius, *d. l. part. 1. Cap. 9.* accuratè exposuit.

(d) Vid. Gonzalez *ad cap. 18. X. de sentent. excomm.*

(e) Quos Canonistæ his versibus complectuntur: *Utile, lex, humile, res ignorata, necesse, Hæc quinque solvunt, anathema ne possit obesse.*

